

2653

H O M I L E T I C I.

2654

Camaldulensi viro utique eruditissimo confundunt. Id uauum me retrahit, quin aperte sententiam feram: initium Sermonum a *Quetifo* pro *Antonio Azario Parmensi* O. P. allatorum non conspirare cum eo, quod supra dedi; ut enim utrobique idem sit thema: *Cum appropinquasset* &c. in exemplo tamen *Quetifi* sequitur: *Tempus, quod hodie incipit et durat usque ad adventum Domini* &c. Unde saltem constat, Sermones illos non esse eosdem ac nostros. Ad horum calcem legitur, ut dixi: *Anthonijs Parmensis*. Et post: *Finis adest operis* — Anno Domini M^o CCCC^o LII^o sabato post *Mauricij et sociorum eius hora 7ma*. Confer Cod. DCXCVI.

DCXCV.

241

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 316. f. absque inscriptione continet *F. Jordani Quedlinburgensis* dicti *de Saxonia* O. FF. Eremit. S. Aug. lectoris in conventu *Magdeburgensi*, Scriptoris Sec. XIV. *Postilla in Evangelia dominicalia*, et quidem a II. *Parte III. Partis* usque ad finem. Est vero Opus uniuersum diuisum in IV. *Partes*, quarum I. ab Adventu ad Dom. I. post Octav. Epiphaniae. II. ad Passionis Dominicam. III. ad Octav. Pentecostes. IV. ad Adventum pertingit, ut patet ex editione *Argentinenfi* 1483. f. Itaque Codex noster aliquanto minus dimidio complectitur. Initium ejus est: *Expedita prima parte tercie partis que fuit de christi pas-*

sione sequitur secunda pars eiusdem que tractat de eius resurrectione &c. Ex hoc prooemio de Autoris aetate statui potest; ait enim: *venerabilem magistrum meum, sub quo, quidquid scire videar, in magna parte studendo profeci, qui tam in lectoratu quam baculariatu, quam etiam magisterio suo adepto precipuus doctor meus extitit, magistrum videlicet Albertum de padua recolende memorie in postillando hactenus secutus fueram* &c. Atqui *Albertus* hic annum 1323. vel 28. extremum habuit. Vide *Offingeri Bibl. August.* p. 668. qui p. 800. inter *Jordani* magistros etiam *Albertum* nominare debuisset, ut ex dictis patet. *Pars IV.* in Cod. nostro finitur: *Quo nos perducere dignetur deus deorum Qui uiuit et regnat per infinita secula seculorum Amen.* Subscriptio miniata: *Explicit secunda* (si de Tomo intelligas) *Pars Jordani per Estatem Scriptum et completum per me Conradum Brampach de Erffordia tunc temporis moram trabentem cum honorabili viro domino Conrado Huter perpetuo vicario in Ebenheim superiori (in Alsatia infer.) Sub anno domini Millesimo Quadringentesimo quinquagesimo quarto ipso die sancti Florencij Episcopi Argentinen-*

DCXCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. ²⁶² XV. Folior. 106. f. corrente calamo per duas columnas exaratus continet: I. *Postilla in Evangelia Dominicarum totius Anni* incipiendo a Dom. I. *Adventus* usque ad

K 2

ad